

41. J. 3. 3538  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,  
DISCVTIENS

VARIA PRÆIUDICIA,

CIRCA

VSVCAPIONEM ET PRÆ-  
SCRIPTIONEM PASSIM INOLITA.

Q V A M

DEO AVSPICE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,  
ANGARIAE, VVESTPHALIAEQVE, &c. &c.

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

IN ALMA SALANA,

SVB

MODERAMINE

VIRI ILLVSTRIS, ATQVE EXCELLENTISSIMI,

D<sup>N</sup>. CHRISTIAN. WILDVOGELII,

ICTI CELEBERRIMI,

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI, CVRIAE PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, COLLEGIORVM IVRIDICORVM SENIORIS, VT ET

ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI,

FAVTORIS SVI ÆTERNVM SVSPICIENDI,

PRO

GRADV DOCTORALI

RITE CAPESSENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

A V T O R,

CARL ERDMANN KIRIZ. Martisb.

DIE MARTII M DCC XXII.

VIENNAE, STANNO MVLLERIANO.

iss. jur. civ.

iss. jur. civ.

422, 6

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

LIBRARIUS IN REGIA UNIVERSITATE

*REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI, AC DOMINO,*

**DN. MAVRITIC  
WILHELMO,**

DVCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIVM  
ANGRIÆ ET VVESTPHALIÆ, POSTVLATO ADM.  
NISTRATORI EPISCOPATVS MARTISBURGENSI  
LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MI  
NLIÆ, ET VTRIVSQUE LVSATLIÆ COMITI PRINC  
PALI DIGNITATE HENNEBERGICO, COMITI  
MARCÆ, RAVENSBERGÆ, ET BARBY,  
DYNASTÆ RAVENSTEINI &c. &c.

*DOMINO MEO CLEMEN-  
TISSIMO,*

REVERENDISSIME AC SE-  
RENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME,



*Erfrictæ frontis reus  
videri possem, quod  
Serenitatis tuæ ocu-  
lis levidense hoc sche-  
diasma subiicere sustineam, & si ve-  
rum*

rum fatear, nunquam eo usque au-  
daciæ fuisset progressus, nisi inusi-  
tata illa gratia, qua Musas Mu-  
sarumque cultores complecti, & in  
sinu veluti fovere non dedignaris,  
animum meum veniæ metu fere  
suspensum erexisset, & tantum non  
obfirmasset. Accedit & illud, in  
summo fortunæ loco merito repo-  
nendum, quod in iis me nasci Terris  
contigerit, quæ Tibi, tanto Princi-  
pi, parent, quem Pietatis & Ju-  
stitiæ Statorem, bonarum vero Ar-  
tium, quam late etiam illæ pateant,  
Nutritorem tempora præsentia ve-  
nerantur, præterita invidebant, &

X 3

si quæ

si quæ futura sunt, obstupescant,  
& admirabuntur. Quam insignem  
nascendi conditionem, uti omnes,  
quos summa cum laude moderaris,  
ingenue profitentur, maximoque  
extollunt opere; ita eorum quilibet  
omnibus viribus eo connititur, ut  
boni subditi partes adimpleat, su-  
umque obsequium Ei, cuius plus-  
quam paternum affectum indies læ-  
tus experitur, si non omni, aliqua  
saltem ex parte comprobet, cum  
gratiæ referendæ se plane imparem  
esse sentiat, licet vel ipsum sangui-  
nem profunderet. Quibus nec ego-  
met quicquam concessurus, tennes  
hasce

basce studiorum meorum primitias  
supplex offerre, quam procrastinando  
diutius, ingrati animi notam  
contrahere malui. Aspice itaque  
serena fronte, Princeps Serenissi-  
me, hoc, quicquid est, demissæ pie-  
tatis monumentum, meque Tua  
Gratia ne plane indignum judica.  
Quod reliquum est, summum re-  
rum Moderatorem oro atque obte-  
stor, ut Serenitatem Tuam, insi-  
mul cum Serenissima Coniuge, omne  
virtutum decus ad invidiam usque  
animo complexâ, contra quosvis  
tristes funestosque labentis huius  
Secu-

*seculi casus in posterum firmet,  
& perpetua stabilique felicitate frui  
patiatur.*

**REVERENDISSIMÆ SERE-  
NITATIS TVÆ**

Dabam Jenæ d. viii. Martii,  
1722.

*Subjectissimus Servus*  
A V T O R.

**PROOE-**





## PROOEMIUM.



Vanquam illorum querelis sua  
constrare videatur ratio, qui Ju-  
ris prudentiam Civilem ex eo  
quoque capite se male habere  
arbitrantur, quodquæ Juris po-  
sitivi sunt, ab iis, quæ natura duce, nobis in-  
notescunt, minus curate vulgo distingvantur,  
adeo, ut nonnulli decantatam istam de receptio-  
ne juris romani controversiam aliqua saltem ex  
parte dirimi posse contendant, si, quod modo  
præstruxi, justum Leges inter naturales & civiles  
statueretur discrimen, has in tantum nos stringe-  
re rati, in quantum cum illis conveniant. At-  
tamen & inde non parum labis Jurisprudentiæ  
nostræ aspersum fuisse mecum fateberis, si ea in-  
valuisse, & adhuc subinde, repurgato licet se-

A

culo

culo, gliscere præjudicia tecum expenderis, quæ in decidendis controversiis difficultates nobis ob-  
 jiciunt vix superandas. Nolo nunc præjudicio-  
 rum originem altius accersere, multo minus eam  
 confectari disceptationem, quæ de iis emendan-  
 dis in hunc usque diem agitur, ne falcem in  
 Philolophorum messem immittere velle videar,  
 in id saltem enisurus, ut, quæ in Usucapionis &  
 Præscriptionis materia inoleverint, præjudicatæ  
 opiniones, exque potiores a memet in lucem  
 protrahantur, quo id effectum iriconfido, ut  
 major salebrarum pars, quæ utramque imperviam  
 reddiderunt hæctenus, si non complanetur penitus,  
 ad minimum emolliatur quoad antenus. Ut enim  
 ὡς ἐν παροῶν unum saltem hic attingam præju-  
 dicium, in ipsa Dissertatione fusius enuncian-  
 dum; volvamus & revolvamus, quæ passim  
 prostant, juris systemata, & si a paucis discesse-  
 ris, Præscriptionem & Usucapionem crasse inter-  
 dum permutari animadvertes, licet non spernen-  
 da sese offerat diversitas, quam confusionem sale  
 perfricuerunt viri, mea laude longe majores, οὐδὲν  
 ἐν ἀγίοις, Titius, puta, atque Georgius Baye-  
 rus, in scriptis suis nunquam intermorituris, adeo,  
 ut hic discrimen, quo vtraque ab invicem sejun-  
 gitur,

gitur, tanti esse existimaverit, ut ab ipsis legibus civilibus non nihil deflectere, fas duceret, siquidem præpostera miscela in iis deprehenderetur. Et profecto, uti censuram meretur ille, qui circa res nomine tenus diversas, non satis cautum se gerit, ita multo minus absque obelo dimittendus erit is, qui ea compingere præsumit, in quibus tam luculentæ sese exerunt differentiæ, ut quadrata cum rotundis facilius componeres. Quo fortius vero discrimen modo allatum omnium perstringit oculos, eo magis jure mirari quis posset, quæ factum fuerit, ut interpretum paucissimi, nescio, quo præjudicii cestro perciti, chaos hoc dispellere, & certis utramque cencellis circumscribere omitterent. Equidem non diffiteor, obverti a nonnullis *L. Unic. C. de Usucap. transform.* eum præcipue in finem, ut eandem Usucap. & Præscriptionis esse indolem, evincant; ast, quovis pignore contenderim, è lege hac rite inspecta, ne fidiculis quidem adhibitis, tale quid exculpi haud posse, quod unam eandemve utriusque naturam argueret: Sed ne ὕσερον πρότερον commississe videar, vix attinet hanc telam hic pertexere, cum in ipso Dissertationis progressu utriusque diversitas explicanda fuerit, detegendo

præjudicium illud, cui hanc confusionem jure in acceptis referas. Uti vero hanc aliasque opiniones præjudicatas in causa fuisse haud dissimulo, cur circa hanc nondum pro dignitate satis excusiatam materiam, meas, quales quales, ingenii vires perditari voluerim, ita ejus difficultas, reliqua ut nunc taceam, ab instituto me facile deterrere potuissent, nisi *πολυτρήλυτον* illud: *in difficilioribus voluisse sat est*, me hæsitantem iterum erexisset. Sed unde tot tantæque enatae fuerint in hac materia præjudicatae opiniones, haud abs re quæsieris L. B. hinc ut huic eremati satis fiat, & de meo instituto tibi constare possit, paucis adhuc utriusque rationes mihi liceat expromere. Cum enim dubium haud sit, quin Tribonianus humani quid, uti in reliquis, ita & hic, passus sit, & utriusque indolem distincte eruere neglexerit, fieri aliter non potuit, quam ut interpretes, illius autoritate occæcati, presso pede Triboniani placita sequerentur, adeo, ut ab hoc fonte maxima præjudiciorum pars dimanarit, & per universum Juris latifundium, contagii instar latius serpentis, sese diffuderit. Sed ne omnem omnino culpam in Tribonianum conjicere velle videar, juri pontificio potissimas hic  
de-

deberi, haud abnuerim, quod male sano pietatis obtentu, Usuc. & Præscriptionis jura ad forum suum pertraxit, & in earum rerum compegit catalogum, quæ conscientiam propius attinere creduntur. Quanta præjudicia ἀλογῶ hic conscientiaæ prætextus in Usuc. & Præscriptionis materiam invexerit, dici vix potest, adeo, ut parum absim, quin hanc de b. f. doctrinam malæ fidei postulem, quæ, si ulla alia, non dicam svadct, sed plane imperat, ut controversiæ tempore longinqvo sopitæ, & penitus oblitteratæ, refodiantur, & ab orco quasi revocentur, uti in subsequens dispaletet uberius. Habes hic scaturiginem, e qua omnia fere præjudicia, in hac materia obvia, potissimum propullularunt. Quapropter institutus labor eo præprimis collineat, ut naturali lumine prælucente, præjudiciorum nebulæ dissipentur: hinc expositis iis, quæ e jure nobis connato innotescunt, immorari non nihil lubuit elucidandis differentiis, quæ Præscriptionem ab Usucapione manifesto separant; siquidem & hic insigne vertitur præjudicium, quod laqueos post se trahit comites, in quos sese induunt illi, qui de justis Præscriptionis & Usucapionis terminis haud solliciti, temere confingunt vo-

A 3

cabu-

cabula, quibus, quod nulla hic subsit diverfitas, aliis persuadere conantur, id quod exinde quoque liquere arbitror, quod, cum res incorporales praescribi, corporales vero usucapi, & ad has praescriptionem gratis proferri ipsimet haud inficientur, nihilominus praescriptionem quandam acquisitivam comminiscantur, a contradictione in adjecto vix liberandam, quae, si rem serio aestimes, aut ad meram *λογομαχίαν* redibit, aut cum Usucapione ad amissim congruere comperietur. Quibus expositis, ad ius canonicum pedem promovi, quod utramque, ceu submonui, paginam hic facere putatur; cuius praesudicia, quae multorum oculos fascinare solent, ut sole in medio ferme caligent, pro virium mearum tenuitate de medio tollere sategi, subinde commonstrans: controversiarum nodos, quos secandos magis, quam solvendos crederes, sine ullo negotio, & sua fere sponte dissui, modo jus can. ita ne depereas, ut ejus sputa lingere, quam verituti locum cedere malis. In his autem meus qualis qualis conatus haud substitit, sed jura saxonica delibanda quoque putavi, sicubi ab hoc jus civile limitatum, vel accessione quadam adauctum deprehenderim: Interim nec hoc te latere velim,

lim,

lim, L. B. frustra hic quæri, quæ in aliorum systematibus ad nauseam usque leguntur; siquidem, uti centonem consuere difficile haud est, ab hoc more, tam pessimo quam tritissimo, ita semper abhorruï, ut & in hac materia pauca eaque insigniora præjudicia excutere consultius duxerim, quam aliorum compilando serinia, crambem bis coctam apponere. Non quidem dissimulo, me angustiis exercitationis academicæ cancellis circumscriptum, multa intacta reliquisse, quæ curatius discuti merentur, in aliud tempus reservanda, si Deus vires vitamque concesserit. Interim ne L. B. in ipso statim introitu justo diutius detineam, nihil aliud superesse video, quam ut ejus benevolentiam mihi exorem, quo, si quæ in tam perplexo, multisque spinis obsito themate nonnulla minus recte dici contigerit, æqui bonique, humanitatis haud immemor, consulere velit. Deus autem coeptis meis gratiam suam aspiret clementissime!

THESIS I.

## THESIS I.

**V**ix autem attinet inveteratæ disputantium methodo insistere, & vocum, quas rubrica præfert, etymologiæ fufius immorari, cum, quid Præjudicia, Præscriptio & Usucapio vi etymi sibi velint, ita patere arbitrer, ut, si uberiolem dilucidationem hic moliri vellem, soli lumen fœneraturus, haud abs re videri possem.

## THESIS 2.

Qvo vero æquivocationi eatur obviam, operæ pretium fuerit, annotasse, quod præjudiciorum nomine mihi veniant illa obstacula, quæ inter reliqua, intellectum in veritatis inquisitione offuscant summopere, ab auctoritate, amore, odio &c. profecta, quæ si, barbare ne loquaris, præjudicatas dicere malis opiniones, mea parum intererit, cum res eodem recidat. Cui addendum Præscriptionis & Usuc. vocabula *συνονύμιος* vulgo usurpari, quam incongrue vero id fiat, mox dicenda eo luculentius, ut spero, evincent, quo extantiores sese offerent effectus, quæ utriusque distinctam naturam arguere possint.

## THESIS 3.

Ante omnia vero, Præscriptionis & Usucapionis indoles e principiis nobis insitis adornanda, & quæ multorum animos hætenus occupavit, remonenda est vana persuasio, ac si utriusque origo a solo jure civili repeti deberet;



beret; cujus discussionis utilitas in dirimenda illa contro-  
versia: an Usucapio habeat locum inter liberas gentes?  
haud obscure se prodit.

THESIS 4.

Paucis vero hic præstruere oportet, quod apud juris  
nat. commentatores latius deductum reperies; primos  
mortales in societatem civilem coaluisse, hac intet cæ-  
teras permotos ratione, ut, quam singuli obtinere haud  
possent, corpore animoque sociati, consequerentur tran-  
quillitatem. Hoc fundamenti loco substrato, dic, quæ-  
so, an ulla re tantopere turbetur publica illa tranquillitas,  
quam rixis & diffidiis, quæ de meo & tuo subnasci so-  
lent? Quibus igitur ut medela quædam nus afferretur,  
nihil æque opportunum visum fuit, quæ sit dominia re-  
rum rite determinarentur, nec, quæ diu oblitteratæ, &  
pene exoletæ jam erant, controversiæ denuo resuscita-  
rentur. Cum hac ratione naturali leges quoque civiles  
amice conspirant, siquidem, quæ modo attuli, per *l. i. ff.  
de Usuc. & Usurp.* luculenter corroborantur, in qua Præ-  
scriptio & Usuc. ideo invaluisse asseritur, ne lites perpe-  
tuo alantur, nec rerum dominia semper fluctuent.

THES. 5.

Alterâ, nec pœnitenda ratio, quæ naturalem Usuc.  
& Præscriptionis originem mascule tuetur, in commer-  
ciorum flore consistit. Quæ uti hujus vitæ felicitatem in-  
insigniter provehunt, ita nemo facile cum alio initurus  
contractum præsumitur, si nullius rei stabilis & certa fo-  
ret possessio; quæ etiam de causa illæ gentes, quæ Mer-  
curio præ aliis litare solent, Præscr. & Usucapionem ar-  
B ctio-

Etioribus includere cancellis, prouti Loccenius fufius in  
*Diff. 6. Synops. Jur. Svec. § 9. de Svecis id edifferit.*

THES. 6.

Certum itaque manet & inconcuffum, Usucapio-  
 nis & Præscriptionis natales quæri debere in ipso jure na-  
 turali, id quod duabus rationibus hætenus ivi commu-  
 nitum, quas sua luce ita rudiare existimo, ut de Anti-  
 thesi multum hic laborare, & dissentientium rationes  
 plane ficulneas recensere fufius, vix attineat. Ne ta-  
 men plane ἀσύμβολοι discessisse videar, unum afferre  
 liceat momentum, quod aliqua veritatis specie blandi-  
 tur, & eo in primis collimat, ut Usuc. pariter ac Præscr.  
 juri nat. eripiatur, & legibus civilibus vindicetur in soli-  
 dum. Adstruunt enim: temporis nullam esse efficaciam,  
 in quo dictorio uti latitat πρῶτον ψεῦδος, ita ego quidem  
 nihil obstare video, quo minus diuturno temporis tra-  
 ctu immota colligantur præsumptiones, quæ pro possessore  
 militant. Accedit & illud, quod expediti, & ab aliis re-  
 rum moralium scriptoribus dudum evicti juris esse existi-  
 mo: quemlibet vel verbis, vel factis rebus suis se abdicare  
 posse, quorsum suo merito Usucapionem & Præscriptio-  
 nem retuleris. Nec est, ut pervulgatum illud. *Nemi-  
 nem sua jactare præsumi!* mihi objicias; cum huic bro-  
 cardico, si non fortius, ad minimum æque forte repo-  
 ni possit argumentum: quod *nemo rem ad se velle per-  
 tinere amplius sit censendus*, circa quam nullam curæ  
 significationem longissimo tempore edidit. Vid. latius  
 Hug. Grot. *l. 2. d. J. belli & pac. c. 4.* Gebh. *d. usuc. cap. 1.  
 §. 1. n. 14.* Tabor. *part. elem. part. 2. tb. 22.* Bolognet. *d.  
 leg. jur. & eqt. cap. 27. n. 6.*

THES.

THES. 7.

Ex his nunc conficitur penitus illud præjudicium, quod Usuc. & Præscript. soli juri civili adscribit, & utramque pro hujus fœtu venditare, haud dubitat. Quod quantumtopere sit ἀποπρον, hæctenus me evicisse arbitror, id adhuc additurus: temporis determinationem, eamque curatio-rem illius, qui τὸ κύριον in Republica gerit, arbitrio unice subesse; quam ita temperari debere, saniora Politices principia dicitant, ne tempora justo arctius constringan- tur, neve dominus à rerum suarum vindicatione arcea- tur temere, quorsum L. L. quoque Romanas respexisse, vero haud fit absimile, dum i rebus immobilibus termi- num longiorem, utpote in quibus plus momenti situm est, quam quidem mobilibus, præfixere.

THES. 8.

Quæstio nunc exsurgit, cujus jam superius mentio fuit injecta: An sc. inter gentes, præter Deum & gladi- um quæ superiorem agnoscunt neminem, aliquis Usuc. & Præscriptionis Usus asseri possit? Quemadmodum autem hoc quæsitum multorum ingenia stylumque exercuit hæctenus, eoque majori animorum contentione discepta- tum fuit, quo illustriores inde dirimi queant controver- siæ; ita e præstructis affirmativa sua sponte fluit, eoque magis, quo majori cum periculo possessiones publicæ sunt conjunctæ, quam privatorum, adeo ut in illis haud immerito metuendum fuerit, ne universa simul respu- blica in discrimen adducatur. Et quanquam dissimu- landum haud fit, in tanti momenti controversiis non deesse fundamenta æque solida; nihilominus tamen tem-

poris allegatio commode adhibetur, siquidem continua-  
tio temporis lucrifacit illam alleganti reliquas, si quas  
habeat, probationes. Confer. Grot. *d. l. 2. cap. 4. §. 5.*  
*in fin. & §. 8. Conring. d. finib. Imp. cap. 19.*

### THES. 9.

Nunc convertor ad aliud quoddam præjudicium de-  
struendum, quo Usucapioni atque Præscriptioni injusti-  
tiæ labe affricatur, quam cum præ reliquis urgeat Gal-  
lus quidam, nomine Pui, in Dissertatione: *Si la Prescrip-  
tion a lieu entre les Princes souverains?* id sibi negotii  
datum esse ratus, ut Usucapionem & Præscriptionem e-  
foris plane proferibat. Hinc non nihil gratiæ apud L. B.  
initurus videor, si verba ejus hic inseram, & quidem  
retento idiomate gallico, quod hoc ævo ita invaluit, ut  
verborum translatione jure supersedere possim. En ip-  
sius verba! *Ces paroles sont précises, (provocat enim, ni-  
fallor, ad Nov. IX.) car l'Empereur appelle ceux, qui  
s'aident de la Prescription, iniquos hommes: il appelle la  
Prescription, iniquum presidium. En fin il appelle la Pre-  
scription, improbam temporis allegationem. Tandem de-  
finit in verbis: Voila une tres notable censure de la Pre-  
scription!* Ast uti hæc Novella, qua Gallus hic nititur,  
civitate nondum ita donata est, quin adhuc inter eru-  
ditos disceptetur, an ea genuina sit nec ne? ita, si vel  
maxime fide sublesta vacaret, non nisi de malæ fidei  
possessore accipi posse hæc verba, unanimi commen-  
tantium asseritur consensu; qua objectione tantum ab-  
est, ut Usucapioni & Præscriptioni aliqua inuratur ma-  
cula, ut potius quæ in antecedentibus dicta fuerunt, huc  
accom-

accom.

accommodari debeant, quæ hunc, aliosve nævos, nescio, quo livore, aspersos emaculare sat potis erunt. Et quid? si quam hic subesse læbem, κατ' ἀνθρώπων disputaturus, largirer; non tamen eo usque illa valere posset, ut ideo Usucapio & Præscriptio omnis eliminari deberet, quippe quas axioma illud politicum adhuc tueretur: non omnia semper in republica ad vivum ressecari posse, sed illa interdum tolerari debere, è quorum abrogatione damni plus, emolumenti minus subnasci posset; id quod quin per dissidia, quorum Usucapione & Præscriptione sublatis, nullus futurus esset finis, evenire possit facillime, nullus, qui hæctenus dicta, semoto partium studio, secum expenderit, adeo temere diffitebitur.

THES. IO.

Quæ hæctenus dicta fuerunt, me quoque cohibent, quo minus adstipuler Hugoni Roy, qui in *Tr. de Eo, quod justum est*, Usucapionem atque Præscriptionem in poenarum numerum refert, cum tamen earum requisita hic desint, & præsumtio naturalis, cujus superius memini, omne punctum hic ferat, adeo, ut quæ de poena differit Roy, improprie intelligenda veniant. Id tamen haud abnuerim, quod summus Imperans, cui privatorum dominia limitare, & accidere licet, poenam in alterius negligentiam statuere, & præsumtionem naturalem magis adhuc firmare possit.

THES. II.

Nunc propius devehor ad jus civile, in quo statim sese offert præjudicium, tam altis defixum radicibus, ut multi persvadeantur, non amplius inter Usucapionem

B ;

& Præ-

& Præscriptionem deprehendi discrimen. Quod ut revelatur, dabo operam pro virili, modo adhuc præmifero, quæ de hoc in Jure nobis insito annotanda supersunt. Quare utiqve commonendum est, requisita ista, quibus Usucapio stipatur, postmodum afferenda, a iure naturali haud abluere, nec Leges civiles hic sibi vindicare posse aliud, quam quod jure naturali posita generalius, arctius limitaverint. Ex quo, me non moente, tuto inferas: omnem illum, qui acqvirendi dominii capax est, usu quoque capere posse, imprimis, si eorum quæ de Usucapione tanquam dominii consecratio jam indigitavi, nondum dememineris.

### THES. 12.

Id autem silentii peplo involvendum haud est, paucissima in jure naturæ ab Usucapione & Præscriptione eximi, quorum longe majorem texunt catalogum iura positiva, ut adeo, si rem rite æstimes, & res sacras, furtivas, & libertatem naturalem exceperis, reliqua pene omnia, quocunqve etiam veniant nomine, Usucapioni & Præscriptioni subjacere, recte adstruas. Sed cur hæc tria potissimum sint exempta, haud abs re quæri posset, quod explanandum est curatius. Res enim sacras, earumque Usucapionem quod attinet, non opus est, ut eam minus procedere, pluribus propugnem rationibus, cum eandem iniquam esse, Cicero dudum agnoverit in Orat. de Arusp. Resp. mortales, inqviens, a Diis immortalibus nihil usucapere possunt; quocum etiam L. L. XII. Tabb. conspirant amicissime, sancientes: *Busum ne usucapito!*

THES.

THES. 13.

Uti vero rerum furtivarum Usucapio vix asseri potest, ad principia naturalia eam si exigas, idque partim ob vitium subjectivum, quo fur in perpetuum arcetur, partim intuitu vitii objectivi & rei adhærescentis, quod tertium nullo non tempore repellit, ita nihilominus leges civiles non nihil hinc descivere, longissimi temporis præscriptione dominum excludi. *l. 3. § 4. C. de Præscrip. 30. ann.* statuentes. Interim de libero homine, an & ille usucapi possit, rem liquere, & negative hic decidendum esse existimo, cum libertas tam dulcis sit, ut nemo facile ejus recuperandæ occasionem sit omisurus, siquidem magis ex ignorantia, quam consensu in servitute quem fuisse, censeri debet.

THES. 14.

His ita expositis, dispiciendum nunc est de Usucapionis & Præscriptionis discrimine, in quo ita versabor, ut demonstratis Usucapionis requisitis, & interspersis subinde iis, quæ ad majorem dilucidationem facere videbuntur, confusio, quæ ubi vis fere regnat, collabatur, & evidenter dispalescat, eos omnes vix excusando percelli præjudicio, qui utramque permiscet. Quod ut rectius fiat, paucis erit præmonendum: modos acquirendi domini varie dispesci, & esse partim juris gentium, partim juris civilis, hosque iterum subdividi in universales, & particulares, ad quos posteriores Usucapio & Præscriptio suo merito referri debent. Hos varios acquirendi modos jam dilucidare prolixius omitto, cum, cui hos per-

nosce-

noscere volupe fuerit, quæ hinc inde prostant, juris systemata evolvere possit facillime.

### THES. 15.

Ut vero eo dilucidius unicuique constet, minus recte inter se confundi, quorum distinctam plane indolem diversæ arguunt circumstantiæ, operæ pretium non plane nullum fuerit, ab utriusque definitione capere primordium, quam de Usucapione sequentem in modum formare liceat: quod sit modus acquirendi domini singularis, quo quis rem alienam, non vitiosam, nec commercio exemptam, ac bona fide, iusto titulo, per tempus lege definitum, possessam sibi acquirit. Uti vero, an data definitio, si ad Dialecticorum apices exigeretur, censuram sustinere possit? nunc non disquiro, ita Præscriptionem per exclusionem juris competentis, sed temporis lapsu deperditi, haud incongrue definiri posse putarim. Vid. Struv. *S. 3. & Exerc. 43, tb. 5. & 6.*

### THES. 16.

Distinguitur autem Usucapio a Præscriptione in eo, quod illa in corporalibus primario obtineat, secundario vero & cohæsiue incorporalia quoque contingat; hæc autem sola jura, obligationes, actiones, exceptiones, & delicta pro objecto habeat; ut hinc satis cogitando assequi haud possim, quare & ab iis putida hic committatur confusio, quorum oculos hæc, quæ modo allata fuerunt, sic perstringunt, ut objecti, quo inter se differunt, diversitatem, ambabus, quod ajunt, manibus largiantur.

THES.



## THES. 17.

De diverso utriusque effectu non est, ut plura hic moliar, siquidem pervulgati juris esse, & a Doctoribus ferme omnibus asseverari video: Usucapionem & actionem, & exceptionem; ex adverso Præscriptionem tantum tribuere exceptionem. Et quanquam in *l. un. C. de transform. Usuc.* Præscriptioni quoque effectus Usucapionis tribui videatur; at tamen id de Præscriptione quam vocant, acquisitiva, quæque rerum possessionem conjunctam habet, intelligi debere, penes acutiores dubium remanet nullum, quam ab Usucapione, re rite inspecta, parum aut nihil discrepare, in prooemio jam indigitavi, ut adeo hoc commento nobis supersedere liceat.

## THES. 18.

Exinde quoque manifestum elucet discrimen, quod Usucapio variis instruaturs requisitis, quo præter possessionem, bona fides, justus titulus, res non vitiosa, & tempus lege definitum pertinent, quæ omnia a Præscriptione longissime exulant, utpote quæ solo temporis lapsu absolvitur. Interim ut de diverso utriusque fine plura commemorem, vix e re fuerit, cum in antecedentibus satis, ut opinor, ostenderim: utramque ideo invaluisse, ne e dominiorum incertitudine, & litium immortalitate, civilis societas detrimenti quid caperet.

## THES. 19.

Nunc vero animus est, quæ strictim recensui, Usucapionis requisita meditando exequi uberius, quo miscela, quæ cum Præscriptione passim confunditur, & in-

C

de

de subnata opinio præjudicata, eo facilius de medio tolerantur. Sed pene omissem, quod adhuc notari meretur: Usucapionem vulgo in brevem, quæ triennio absolvitur, in longam, quæ a decem annis usque ad triginta excurrit, in longissimam, quæ 40 annorum spatium complectitur, & immemoriam seu centenariam, quæ hominis ætatem exsuperat, & centum annis definitur, dispesci solere. Quanquam vero hæc divisio ad alterutram accommodari soleat, nihil tamen videtur obstare, quominus utrique tam Usucapioni, quam Præscriptioni eandem communem esse asseras.

#### THES. 20.

Quod itaque bonam fidem tanquam potissimum, ut vulgo putatur, Usucapionis requisitum, attinet, in ea determinanda juri civili cum canonico haud convenit, & cum illud ab initio saltem b. f. requirat, & malam supervenientem nihil plane officere pronuntiet, hac objectâ pietatis larvâ, quovis Usucapionis momento eandem adesse debere, diserte sancit. v. B. Samuel Stryckius, qui latius pugnam hanc cum reliquis exponit, in *Tr. de Differ. Jur. Civ. & Can.* An vero hic intempestivus pietatis Zelus Reipublicæ magis obsit, quam profituum L. B. esto judicare, qui & illud facile solveris erotema, quod de dubitante in Usucapionis materia excitari solet, ubi e diverso jure diversimode respondendum esse, me licet tacente, intelliges.

#### THES. 21.

Quinam vero titulus justus vel injustus sit, vide, sis, pluribus Digestorum compendia. Hinc in genere præstru-

struxisse suffecerit : illum titulum pro justo haberi, qui ad transferendum dominium est habilis, adeo ut error circa titulum obveniens, impedimento esse haud possit, modo uterque ad transferendum dominium reperiatur habilis. Quemadmodum autem justum titulum excipiunt res commercio non exemptæ, ita quare una alterave privatorum usibus erepta fuerit, altioris indaginis, & politicæ magis, quam præsentis considerationis esse existimo. Interim hoc certum & indubitatum manet, plurimarum rerum exemptionem juri canonico adscribendam venire, & quidem ex rationibus, quæ merum interesse pontificium redolent, quod prolixius diducere nunc haud attinet, cum inferius hac de re adhuc agetur, & id ulterius alii quoque tetigerint, solideque ostenderint: Protestantium Fora, explosis, & longius licet facessere jussis romanensium principiis, principiata ut plurimum retinuisse. v. Dum viros Illustres Dn. Thomassium & Dn. de Ludevigg, quorum ille in *Commentario in Lancelotum* passim hæc inveterata præjudicia corripit, & evellere sagittat, hic vero in peculiari Oratione, quæ titulo *Dicæ Jubil. Luther.* splendet, luculenter commonstrat: nos ubique fere papizare, diviniore licet lumine collustratos.

THES. 22.

Requiritur porro ad Usucapionem, ne res sint vitiosæ, ad quas raptæ, & amotæ referuntur. De raptis & spoliatis e supra dictis liquere posse arbitror, quamobrem nec ab ipso fure, nec a tertio usucapi possint. *v. l. 2. C. de furt.* De rebus vero amotis non nihil adhuc scrupuli moveri, nec abs re disquiri posset: an rebus furtivis,

spoliatis & raptis exæquari debeant? siquidem in rebus amotis actionem furti cessare, noto est notius, ut adeo usucapiendo easdem acquiri posse, vero haud videatur ab- simile. Sed quicquid etiam hic subesse possit dubii, ex eo facile diluitur, si, ceu par est, supposueris: ea, quæ in favorem parentum, liberorum & similibum persona- rum, in quibus actiones famosæ penitus cessant, intro- ducta reperiuntur, nec trahi posse, nec debere ad con- sequentiam *l. pn. rer. amot.* Id tamen expediti juris esse reor: res vitio affectas, quocunque nomine appelli- tentur, nihilominus usucapi posse, dummodo longa, & cum bona fide conjuncta accesserit possessio. *l. 7. C. d. præscr. long. temp. Auth. malæ fidei. C. d. t. Carpz. p. 2. c. 3. Def. 16. Gail. lib. 2. obs. 28. n. 10.*

### THES. 23.

Expendendum superest tempus legitimum, circa quod in mentem revocare oportet rationem supra addu- ctam, quare sc. brevius spatium rebus mobilibus, longius vero immobilibus sit præfinitum, cum has decennio in- ter præsentis, vicennio inter absentes, illas vero trien- nie usucapi constet. Hoc tamen spatium ita crude haud accipi, sed cum quadam latitudine morali, intelligi debet; nec opus esse puto, ut, qua hora quis possidere cœperit, eadem præcise Usucapionem complere teneatur. *l. 6. ff. de Usurp.* Id tamen prætermittendum haud est, evenire sæpius, ut quis morte interceptus, Usucapionem absol- vere haud possit, qua de causa jura libero successoris ar- bitrio reliquerunt; An antecessoris tempora computare simul velit? quo casu utriusque bonam fidem requiri, in

in aprico est; alias enim mala antecessoris fides succeden-  
tis Usucapionem neutiquam efficiet vitiosam, si eam a  
sua persona inchoare malit. *l. 4. C. d. R. v. l. 2. §. 17.  
pro emt.* Neque huic sententiæ obicem ponit *l. 11. C. d.  
acqu. poss.* ceu demonstrat. Brunnem. *ad. d. l. 11.*

THES. 24.

Cum de tempore legitimo hic agatur, calamitosum  
quoque commemorandum venit, siquidem ob publicam  
calamitatem belli, puta, pestis, aut aliud quod impe-  
dimentum fonticum, Usucapionem suspendi, clare ad-  
struitur in *L. 1. C. de tempor. Præscr.* valet enim, & jure  
huc accommodatur tritum illud: non valenti agere nulla  
currit præscriptio, quæ ratio eo usque proferri debet, ut  
in liberis, pupillis, minoribus, & generatim in iis omni-  
bus Usucapio cesset, qui adhuc patriæ potestati substant.  
Cum vero Dd. in eo conveniant, tempora hostilitatis  
detrahenda esse, ita mirum variant, si, quæ pro talibus  
haberi debeant, quærat. Cui perplexitati ut obviam  
eatur, præstruendum est e jure tam civ. quam canonico:  
id saltem deduci debere tempus, per quod bellum in eo  
loco duravit, in quo actio institui debuisset, atque adeo  
jus omnino redditum haud fuerit. *l. 5. ff. de Usurp.* At  
cum hoc justo videretur durius, quædam inducta fuit cor-  
rectio per rec. Imp. *de anno 1654.* in quo non saltem agen-  
di impossibilitas supponitur, sed & experiundi difficul-  
tas attenditur: ut adeo tuto quis inferat: omne hostili-  
tatis intervallum detrahi debere, sive justitium fuerit nec  
ne. Et hanc sententiam in terris quoque Saxonis olim  
obtinuisse, vero haud repugnat, licet eandem manda-

tum El. 21. Julii 1656. non nihil temperaverit, prudenti  
 iudicis arbitrio committens, ut ipse æstimet, quodnam  
 & quale tempus, ratione belli, & natæ inde agendi dif-  
 ficultatis, inita, deduci debeat. His adhuc subtexi me-  
 retur, quæ occasione *l. 15. ff. pro empt.* excitari solet, con-  
 troversia: an sc. si quis rem per tempus possideat, sed ab  
 hostibus postmodum capiatur, ipsi revertenti aut ejus he-  
 redibus, illa detentio in captivitate obsit? & affirmati-  
 ve decidi in dicta lege invenies. Quæ lex, uti inter ve-  
 xatissimas, Hilligero *in Donell. Libr. 5. c. 20.* ingenue fa-  
 tente, refertur, ita ab æquitate naturali longius profe-  
 cto digreditur, quam ut ejus rigor in praxi observari  
 queat, siquidem quæ alias facti sunt, non possunt tol-  
 lere ea, quæ sunt juris.

### THES. 25.

Quoties autem, quæ fufius nunc ex posui, confi-  
 dero Usucapionis requisita, toties satis mirari nequeo  
 crassum illud præjudicium; quo adhuc hodie plurimi per-  
 celluntur, ut inter Usucapionem & Præscriptionem ni-  
 hil plane interesse jactitent, cum tamen quæ ad Usuca-  
 pionem requiri soleant, in Præscriptione evanescere, &  
 solum temporis lapsus hic fere sufficere, nec ipsimet  
 diffiteantur. Suppeterent adhuc alia præjudicia, quæ  
 missa nunc quidem facio, partim, quod ad fontem jam  
 indigitatum sese reduci facile patiantur, partim etiam,  
 quod jus canonicum perlustrandum superfit, in quo larga  
 præjudiciorum seges, conspicitur, quam in selectis con-  
 templari controversiis eo magis allubescit, quo firmiter in  
 Præscrip. & Usuc. materia jus can. utramque facere pa-  
 ginam

ginam creditur, cui, imaginaria quadam æquitate infescati, haud pauci jus civile longe posthabent. An vero hæc jactitata æquitatis præsumtio firmo stet talo, quæ in prooemio dixi, quadantenus edocere possunt, & in subsequentibus patefcet uberius, si juris canonici fundamenta in hac materia paulo plenius excussero.

### THES. 26.

Oleum vero, operamque perderem, si quæ juris pontificii scriptores hic tricari solent, corradere vellem, siquidem hi cœco impetu in transversum acti, neuti- quam discernunt, quantum distent æra lupinis! Cui autem volupe fuerit, has quisquilias legisse, is Kœnigii vastum commentarium, quem in Jus Can. edidit, evolvere potest, modo prius noverit, scriptorem hunc esse Pontificiorum partibus addictum, & ubique suæ inservire scenæ, dum juri civili ubique detrahit, jurisque can. æquitatem ubique fere crepat, miroque studio extollit. Quem- admodum autem jus can. a civili, qua bonam fidem, & res exemptas potissimum diffidet, ita congruum utique est, ut quæ vesanus religionis zelus ad auctoritatem juris civ. obterendam invexit, hic in disquisitionem vocentur, id quod per selectiores, ceu jam submonui, eundo controversias, nunc exequar, detegendis præjudiciis, quæ ad solum interesse ultimato collineare experieris.

### THES. 27.

Ductis itaque a jure decimarum primordiis, statim exurgit insigne præjudicium in quæstione: an illud præscriptioni subjaceat? quam a juris can. scriptoribus negari

gari animadvertes. v. Tabor *in relat. Argent. 26. n. 8. seq.* sed, si rem ejusque momenta cordate intuearis, tempora hic distinguere oportet; siquidem concilium Lateranense laicos demum decimarum incapaces declaravit, ut adeo ad tempora præcedentia illud retrotrahendum haud sit. Quid vero in causa sit, ob quam laici jure decimarum defraudati fuerint, facile est ad colligendum; cum cleri romani plus habendi cupiditas, & nihil aliud hic subsit, quanquam pietatis prætextus, & rerum spiritualium favor obtendi soleant. Ast mentem omnem ejurasse censendus foret is, qui futili hoc glaucomate sibi imponi pateretur. Equidem condonandum est pontificiis, quod scenæ suæ sese accommodantes, hæc opinionum monstra excluserint; id tamen cordatorum nullus æquo animo facile tulerit, a Protestantium nonnullis adhuc hodie jus decimarum rebus impræscriptibilibus accenseri, licet reliqua jura contra ecclesiam 40. annorum spatio præscribi posse, ipsimet haud inviti largiantur, nec ab aliis oneribus, immunitatem acquiri posse diffiteantur.

### THES. 28.

De bonis ecclesiasticis major subnasci posset dubitatio: in quantum ista Usucapioni subjaceant? in qua decidenda ne & ipsemet præjudicata opinione laborare videar; dotalia a bonis ecclesiæ communibus caute discernere oportet, quorum illa peculiari quodam forma induta conspiciuntur, clericorum sustentationi unice destinata; hæc vero isto charactere destituuntur, & ad alios quoque usus transferri possunt. Horum alienatio uti, casu sic exigente, permittitur, ita, quin usucapioni quoque

que



substant, dubium superest nullum; id quod de dotalibus minus recte asserueris, quæ alienari & in feudum dari prohibentur, *l. f. 6. pr.* Cæterum, quod de bonis ecclesiasticis non dotalibus, eorumque Usucapione quadragenaria, vulgo dicitur; *Aoth. quas Act. C. de S. S. Eccles. c. 4. 6. X. de Usuc.* non, nisi sub certo augmento, intelligendum est, ut 40 annis quatuor adhuc addantur, siquidem ecclesiæ contra Usucapionem completam restitutio in integrum per quadriennium competit, atque adeo, calculo rite inito, 44. annos ad bonorum Usucapionem requiri, ex ante dictis nemo non conjiciet, id quod uberius declarat Ill. Bergerus *in res. ad Lauterb. 4. de Usuc.*

### THES. 29.

Juribus spiritualibus annumerari solent visitationes, quas Romanenses omni Præscriptioni subtrahere pertendunt, ideo, quod illas cum animarum salute, arcto veluti connubio copulatas esse existimant, in quo quidem Protestantes ipsis haud adeo refragantur, in eo saltena secessionem facientes, quod Procuraciones, quas per visitationes obtendunt pontificii, præscribi posse tueantur, cum nihil obstet, quo minus visitationes gratis & absque mercede fiant.

### THES. 30.

De Usucapione mensalium, seu, quod hodie eodem recidit, domanialium acriter adhuc hodie controversatur, quæ concertatio tam acutis spinis obsepta est,

D

ut

ut Doctores insigniter exercuerit, & in eas conjecerit difficultates, quibus etiamnum irretiti hærent. Vti vero bona mensalia, ceu dictum, cum domanialibus conveniunt, & apud Protestantes, mutato territoriorum statu, aliud saltem nomen ascivere, ita, quicquid etiam de bonis mensalibus apud Pontificios fuerit, & quantopere de eorum Præscriptione, licet vel immemorialis accesserit, adhuc dubitetur, non curabo, in eo unice occupatus, ut de Præscriptione Domonialium diversa sentientium momenta afferam, imprimis, quod hic varia sese offerant præjudicia, quæ dissipare haud abs re fuerit, liberima L. B. optione relicta, utri partium circa domanialium præscriptionem accedere malit.

### THES. 31.

Falluntur vero, & putido laborant præjudicio, qui regalia cum domanialibus confundunt; illorum enim consideratio est altioris indaginis, juraque eminentiora complectitur, quæ cum juris publ. doctrinam propius attingant, nolo hæc, tanquam ultra spheram meam nimis projecta, hic persequi. Ne tamen nihil dixisse, & plane αἰσῦμβολῶ discessisse videar, id saltem hic addidero: Pragmaticorum plurimos, eosque haud ultimi commatis, persuasum habere: omnem, quæ de regalium præscriptione emergere posset, controversiam facile enodari posse, si regalia majora & minora caute ab invicem distinguantur, quam distinctionem imprimis tuetur Hertius in *Diss. de super. Territ. Tb. 62.* cui obviam ivit Ill. Dn. Thomasius in *Diss. de Præscr. reg. c. 3. p. 1.* in qua  
foli.

solide evincit, minus tute distinctioni huic, labili fundamento superstructæ, quem inniti posse. conf. b. Stryckius in *præfatione*, *Tractatus Ockelii de Præser. Immemor. præmissa*, qui rationibus haud spernendis suffultus, in negativam propendet.

### THES. 32.

Missæ regalium Præscriptione, quæ circa Domania-  
lia, eorumque Præscriptionem afferri possunt pro utra-  
que parte stabilienda, rationes nunc exquiri debent.  
Equidem parum absur-  
dum, quin, si autoritas hic quicquam  
valeat, æquo fere Marte depugnari persuadeat. Sed  
seponamus nunc autoritatem, & audiamus potius affir-  
mantes, qui inter alia dissentientibus objicere haud du-  
bitant: quam temere Domania-  
lia cum regalibus commu-  
niter permisceantur, quæ tamen in tantum differre inter  
se asserunt, in quantum his majestas absolvitur, quam  
privatis qui iret vindicatum, nã! is societatem civilem  
turbaret admodum, ejusque fundamenta, sublato pa-  
rendi & imperandi ordine, penitus subverteret; id quod  
ad domania-  
lia incongrue applicaretur.

### THES. 33.

Alterum momentum, quod negantibus obvertunt  
affirmantes, in eo consistit: quod Præscriptionis origo  
non a jure civili, sed ab illo jure, quod natura nobis in-  
sevit, accersi debeat. Sed in his non subsistunt, quin  
potius, ne omnem victoriæ spem dissentientibus uno ictu  
præscindere videantur, tantisper largiri solent: Usuca-

D 2

pio-

pionem esse foetum juris civilis, nec quicquam inde confici posse rati, quod praescriptio eodem loco numerove haberi debeat, multo minus illa, quae immemoralis audit, & toto, quod ajunt, caelo ab Usueapione distat, cum per hanc nobis aliquid acquiratur, illa nihil nobis tribuat, sed hoc saltem operetur, ut ex immemoriali temporis lapsu, firma & immota oriatur praesumptio: nobis aliquid legitime fuisse acquisitum.

### THES. 34.

Sed ne dictorum bonorum praescriptionem asserentes aërem ferire videantur, ante omnia eruere satagunt, quidnam nomine Domanicalium veniat? Hoc ut efficiant, fundamenti loco supponunt, ea dici domanialia, quae sustentationi & status & dignitatis Principis primordialiter sunt destinata, & olim Episcopis alendis inservierunt. Cum enim nostri Principes sub qualitate Ducum, Principum, territoria ecclesiastica obtinuerint, eos quoque jura circa redditus & bona, consecutos fuisse sponte consequitur. Ex quo facile ferri potest iudicium, quam bene domanicalium nomine Cameralia & Fiscalia vulgo insigniantur, cum id nominis ea saltem bona sibi vindicent, quae ad Principis sustentationem unice spectant, & mensalia quondam dicta, mutato postea territoriorum statu, domanicalium titulum acceperunt. Equidem Canonistarum haud paucis pro certo habetur, in his bonis omnem plane praescriptionem exulare, quanquam sint, qui pro immemoriali hic depugnent, eamque valere tueantur. Quapropter, ut affirmant.

man-

mantium monenta eo exactius ponderari queant, ab instituto meo haut alienum fuerit: immemorialis Præscriptionis naturam paululum indagasse,

THES. 35.

Uti vero Præscriptio immemorialis in jure civile diversimode audit, ita præ cæteris notari meretur significatus, qui ipsi in *L. 1. ff. infin. de aqv. & agr. pluv. arc.* inditus reperitur, ubi nomen *Vetustatis* occurrit. Hæc itaque temporis vetustas, prouti affirmantibus placet, eo superbit privilegio, ut nullum hic titulum allegare opus sit, quin hujus vicem illa abunde supplere possit. Ad quæ magis magisque dilucidanda affirmantes præstruunt: Præscriptionem immemoriam, nihil novi tribuere nobis, sed firmam producere probationem, optimamque præsumtionem: non pœnitendo quem esse munitum titulo, quo juris effectum longissime adhuc vincit Præscriptionem ordinariam, quæ exceptionem tantum operatur.

THES. 36.

Hinc consecutionis filum ulterius ducunt, & illam Præscriptionem, cujus memoria non ita caligine obducta est, quin facile adhuc detegi possit, gratis talena vocari pertendunt, eam demum id nominis mereri sustinentes, cujus memoria plane deficiat. Ex quo consecutarii instar dimanare putant: quod, si omnem Præscriptionem vetari contingeret, ad immemoriam hæc prohibitio minus pertingat, quam optimo jure fir-

missimam præsumtionem dixeris. vid. Struv. *I. t. o. Ep.* 43. *tb.* 23. Cui adjungitur & alia ratio, quæ nulli allatarum cedere putatur, ab alienatione domanialium desumpta, qua, licet ægre, tamen sub certa restrictione quandoque permittitur, quemadmodum negantium partes qui tuentur, nec ipsimet eunt inficias.

### THES. 37.

Possem & alia cumulare momenta, quibus sententia affirmans superstructa est, nisi brevitatis studio, ea omittere consultum ducerem, binis verbis allaturus adhuc dissentientium rationes, quæ ad pauca capita revocari poterunt. In eo vero, ut summam omnia complectar, negativæ cardo vertitur, quod sc. Præscriptio, cujuscunque etiam nominis, a jure civili solum profluxerit, & ad castigandam alterius negligentiam inventa fuerit; quam poenam ad superiorem velle porrigere, vitanda foret temeritas; adeo ut quicquid etiam de vetustate affirmantes edisserant, sola hâc ratione dissipari posse arbitrentur, qui eunt in contrarium.

### THES. 38.

Sed absit, ut ego quidem præsumam hos componere fluctus, quos tanto impetu excitari hic videas, ut facile verendum sit, ne scopulis alliderer, si aperto mari me committere sustinerem. Quapropter instituti mei magis intererit, varia annotasse præjudicia, quæ nec in hac controversia deesse censeo. Quanquam autem dubium penes me remaneat nullum, Præscriptio-

nem,

nem, eamque multo magis immemoriam, privatos inter si lis orta fuerit, eas habere vires, ne quis diplomata & documenta, temporis injuria detrita fere & exesa, producere teneatur, sed vetustate demonstrata, ulteriori probatione superfedere possit; & summopere approbem eos, qui justos Usucapionis & Præscriptionis terminos attendunt, quos si semel transilias, & novis verborum figuris te seduci patiaris, mirari postea noli, si & eas tibi offundi tenebras sentias, e quibus vix ac ne vix quidem te expedire possis; attamen non possum non, quin eorum partes deferam, qui, omni præscriptione prohibita, immemoriam adhuc in præscribendis domanialibus obtinere adstruunt, nullo juris fundamento subnixi, & haud vane, ut ego quidem crediderim, præfagientes, fore, ut, si superior Præscriptionis jura in suo territorio abolita velit, ipsi obmutescere cogantur. Taceo, quod negantes insigni quodam præjudicio laborent, quando Præscriptionem pro foetu jur. civ. venditant, quod uti jam supra ivi refutatum, ita L. B. de reliquis hujus controversiæ momentis tuum esto judicare! siquidem ad minimum in eo te mihi consentientem polliceri ausim, nihil obstare, quocunque etiam loco numerove utraque sententia habeatur, quominus superior, facta omnis plane Præscriptionis prohibitione, hujus disceptationis finem facere, atque adeo nervum rationum, quam intensus etiam is ab utraque parte videatur, facile incidere possit.

THES.

## THES. 39.

In thesibus, nî fallor, præcedentibus jam subinnui: jus canonicum Præscriptionis & Usucapionis materiam in solidum sibi vindicasse, in cujus possessione ne adeo facile turbari posset, varia sibi circumposuit fulcra, inter quæ b. f. prominet, quam sub incudem vocare, perquam erit utile, cum crassum quoque exinde prognatum fuerit præjudicium, quod reipublicæ compendii nihil, dispendii plurimum, afferre posset facillime. Sed ne ἀμερόδως processisse jure accuser, exactum inter jus civ. & can. observandum hic est discrimen, illud enim circa b. f. hoc sanxit, ut ea saltem in Usucapionibus, non vero in Præscriptionibus 30. vel 40 annorum adesse debeat, utpote in quo spatium jura sua quem dereliquisse haut vero absimile videtur, nec obstat mala fides superveniens, modo ab initio b. f. adfuerit, in tantum, ut nec mala fides superveniens conscientiam violet. *l. 5. C. de L. L.* nec heres, si vel maxime in mala fide versetur, Usucapionem a defuncto legitime inceptam complere impediatur: *l. 2. §. 19. ff. pro emt.* hoc vero sc. jus can. in alia omnia abit, & contrarium, ad elevandam juris can. auctoritatem, ubique tuetur.

## THES. 40.

Quæ dispositio continetur in *c. f. X. de Præser.* cujus verba non indigna videntur, quæ huc transcribantur, in primis, cum de ejus æquitate contentationis ferram reciprocatos esse constet, summos seculi nostri Ictos,  
Lyn-



Lynckerum puta & Coccejum, verba autem sic se habent: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat Præscriptio tam canonica quam civilis, cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, que absque peccato mortali non possit observari: unde qui præscribit, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei aliena.* seu ut Klockius *de Contrib. c. 16. Sect. 2. n. 40.* concisus hæc omnia effert: exceptio, inquit, malæ fidei ad decem millia millium opponi potest. Quicquid autem de hujus sanctionis æquitate alii sentiant, & quantopere eandem commendent; id semper in aprico manebit: stante hac hypothese papali, lites, sempiterna quadam caligine sepultas, ab orco temere revocari, & societatis humanæ tranquillitatem turbari. Quare non possum quin exuam hoc præjudicium, & Ill. Bergero ad stipuler, qui hanc doctrinam explodit, & ab eadem in senatu Provincialium Electorali saxonico recessum fuisse condocet in *Oecon. Jur. Lib. 2. tit. 2. §. 25. not. 4.* Quid? quod quam plurimi jur. can. interpretes hoc de b. f. assertum pro generali haud agnoscunt, sed Pontificem ad Usucapionem solam respexisse, nec hæc verba ad Præscriptionem trahi debere adstruunt v. Franz. *Exerc. 5. qv. 7.* cui quoque subscribit Wesenb. *L. 2. Inst. Tit. 6.*

THES. 41.

Fateor multa adhuc deesse præjudicia, quibus enucleandis lubens immorarer, nisi pagellarum, quas academica dissertatio admittit, angustia excluderet, quæ  
E cum

cum alii tempori & occasione reservare cogar, non possum tamen, quin adhuc submoneam: Jus Saxonicum, quod ad sui cultum vel exteros rapit, iisque singularis prudentiæ admirationem injicit, caute, si quod aliud, in hac spinosa & perplexa Usucapionis & Præscriptionis materia incessisse, adeo, ut non saltem, quod jura civili adeo definitum haud videretur, tempus Usucapionis determinaverit, & res omnes mobiles anno & die, immobiles vero triginta annis, anno & die usucapi debere, præceperit; sed & eodem temporis spatio actiones, jura, servitutes incluserit, hac tamen adjecta limitatione: ne speciales juris civ. præscriptiones habeantur pro abolitis, quales abhuc supersunt in quer. inoff. testm. null. de quibus aliisque videri potest Stryckius *Investig. Action. Sect. 3.* Sed si jura saxonica nunc intueri, & in quibus a jure civili desciverint, contemplari animus esset, justioris molis volumen mihi adornandum foret; quod forte alio tempore fiet, si Deus vires vitamque concesserit. Interim L. B. mirari desinet, quando a consuetudine inolitima recessisse, nec allegata hic cumulasse, deprehendet, si secum expenderit, hujus materiæ tantopere haut interfuisse, ut præjudicia præjudiciis irem communitam, cum rationes, quibus illa profligare connisus sum, suo se robore sustinere, nec ascititio fulcro indigere visæ fuerint. Quod reliquum est, ut hunc meum conatum, qualem qualem, æqui bonique consulat, meque sibi in posterum habeat commendatum, L. B. humanitatem enixe obtestor.

F I N I S.

PARA-

## PARALIPOMENA.

- α) *Insignis intercedit differentia Domaniale inter  
 & regalia, quæ uti Majestatis formam absolvent  
 ita a subditis præscribi haud possunt temere.*
- β) *Quod modo præstruxi discrimen, passim negle-  
 ctum invenies in iis schediasmatibus, quæ uno  
 volumine conjuncta Francofurti ad Mœnum  
 de Jure Domaniarum prodire, ut adeo ma-  
 ximam eorum partem, in hac, quæ tetigi, offen-  
 dicula impegisse vel ipsa inspectio quem vis ho-  
 rum rerum curiosum edocere possit.*
- γ) *Valde hallucinatur Hugo Grotius de J. B. P.  
 L. 2. c. 6. putans: Principes domanialium  
 intuitu pro meris usufructuariis habendos esse;  
 quem Zieglerus in not. egregie confutat.*

NOBILISSIMO IVRIVM CANDIDATO,  
**DN. KIRIZIO,**

S. P. D.

CHRISTIANVS WILDVOGELIVS IC.

**A** Mat victoria testes. Prædicatur hoc non solum de fortibus sagatæ militiæ sociis, sed & ad illos, qui in toga militant, rectissime applicatur. Imo nullum egregium committitur facinus, cuius non spectatores & laudatores exoptet is, qui illud perpetrat. Est enim gloria virtutis tum stimulus, tum comes, illamque sequitur, uti umbra corpus. Haud igitur vitio verendum est generosis mentibus, dum honestæ famæ rationem habentes, eo semper annituntur, ut heroicis factis semet aliis ostendant, atque hinc laudis præconia consequantur. Id ipsum jam Tuo exemplo comprobas, Vir nobilissime, qui non modo in musarum castris huc usque strenue militasti, sed & in exteris oris ita ingenium tuum exercuisti, ut cum pluribus de honoris apice contendere possis. Ut igitur eximium  
 eru-

eruditionis decus, quod multo sudore & labore parasti, aliis quoque notum fiat, publico, jam specimine illud commonstrare, ac testes victoriae quaerere cupis. Habes hocce non me tantum, sed & omnes, qui tecum haectenus sunt conversati, quin & certamen de themate satis acuto palam instituendum id comprobabit uberrime. Fruere ergo honoribus Tibi ex merito proxime conferendis, & ita rem in posterum age, ut tum Ego, tum Parentes charissimi, aliive Tibi faventes, Temet ad ampliores dignitates evectum spectare, insimulque ulteriores victoriae & felicitates Tuae testes esse queamus. Dabam Jenæ, d. 20. Martii An. 1722.

**I**ngenio polles, juris legumque sacerdos,  
 Quid mirum, Phœbum præmia ferre TIBI?  
 Hinc, patria cives, gaudete, & curia plaude,  
 Ac Tibi de tanto congratulare VIRO.

Hicce consultissimo Duo Dd. gratulabundum animum contestari voluit.

**IO. FRID. WILDVOGEL,**

Jur. D. Stat. prov. Synd. Opponens.

E 3

MON-

## MONSIEUR,

S'il étoit permis de me taire, & d'être indifférent; ce ne seroit pas dans cette occasion, où Vos amis s'empresrent à l'envi l'un de l'autre, à Vous donner des marques de la joie qu'ils ont de Vous voir, Monsieur, à la veille d'être affublé du Bonnet de Docteur, que V<sup>ô</sup>tre profonde érudition, Vos rares & éclatantes vertus ont mérité déjà dès longtemps. Cette sçavante Thèse: *De Prajudiciis circa Usucapionem*. que Vous allés soutenir, est un coup de maître, & d'autant plus hardie, qu'outre qu'elle est occupée à vouloir renverser l'opinion suivie, presque de la plus part des Legistes, par des arguments solides & convaincants, elle remet au jour le sens précis de la Loi. Depuis le peu de tems que j'ai eû l'honneur d'user de V<sup>ô</sup>tre agréable, & sçavante conversation, j'y ai tant trouvé de goût, que ie desirerois en pouvoir toujours profiter. Vous avez d'ailleurs si bien sçeu trouver le secret de conformer V<sup>ô</sup>tre dialecte à celui des étrangers, & de parler leurs langues avec tant de netteté, (ce qui est assez pénible

nible

nible aux *Saxons*) qu'à Vous entendre parler le Francoiſ & L' Italien, l' une & l' autre de ces nations différentes, ſe trouveroient en verité fort embarrasſées, ſ'il étoit queſtion de décider ſur Vôtre Patrie. Enfin; Monsieur, la connoiſſance de Vôtre bon cœur, cette probité à toute épreuve, cette humeur deſinterreſſée & toujours bien faiſante; toutes ces vertus diſ-je meritoient chacune leur éloge, nétoit que j'ai peur d'offenſer Vôtre mo-deſtie, il me ſuffira donc Monsieur pour le preſent de Vous ſouhaiter un comble de bonheurs, de proſperitez, & à Vôtre retour, un emploi, proportionné à vos rares qualitez, puis que je ſuis avec tout le reſpect poſſible

*Monsieur*

*Vôtre tres humble & tres affectionné  
Serviteur.*

P. DUVERNOY. D.  
Opponens.

*San-*

*S*ancta Themis studiisque favet doctoque la-  
bore,

Præbet & ingeniis præmia digna bonis.

*T*V quoque, quum merito jam nunc maeris ho-  
nore,

Grator cum ex animo, dulcis Amice, Tibi.

Faustissimi ominus ergo scripsit,

**P. L. WILDVOGEL,**

J. U. C. Opponens.

